

rerum species, eò quòd imagines oculi fundus inverfas recipiat post tertiam radiorum decussationem, quarum prima contingit ante lentem primam CD in X (Vid. Fig. LXXVIII.) secunda inter sequentem proximè lentem EF, ac tertiam GH in Y, ac tertia in Oculo circa Z; id quod experimento evidenti deprehendimus. Statuto enim oculo ante lentem CD, tum in majore seu tertio nostro, tum etiam in secundo ipsi simili, sed multò minore, remotis interim coeteris EF & GH, vidimus objectum OP inversum; indicio manifesto quòd radii ab objecto venientes ante lentem CD per crucem excurrerent, ex A versus D & ex B versus C: Deinde retrocedens oculus etiam ultra locum lenti EF debitum objectum OP etiamnum inversum spectabat; argumento certissimo inter lentes CD & EF nullam contingere decussationem radiorum, sed inter EF & GH demum; siquidem non solum post lentem GH suo loco positam objecta ordinariè cernuntur erecta, sed etiam post lentem EF constitutus oculus, illà paulùm adductà (nam in debito loco non nisi confusam lucem exhibebat) eadem erecto jam situ, quamvis obscuriùs, conspicabatur &c.

TENTAMEN XVI.

*Camera Obscura portatilis & Laternæ cujusdam
Catoptro - Dioptrica jucundissima spectacula, horumq;
genuinas rationes monstrans, &
auctari loco
Calendariographiam horariam edocens.*

PHÆNOM. I.

Finem tandem, cum anno finiente, Collegio nostro Curioso facturi, triplex adhuc inventum Auditorum nostrorum oculis & judicio subjicere constituimus. Primum erat Camera quædam obscura portatilis & minutior, externarum rerum simulacra parvulâ quidem specie, sed distinctâ satis & erectâ depingens. Erat enim ad aures nostras delatum, Mechanicum quendam Norimbergensem, Mathematici Norim-